



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Fasciculus Exercitiorum Et
Considerationum, De Præcipuis Veritatibus Christianæ Fidei Et Sapientiæ -
Ad efformationem Christianæ vitæ, consecutionem salutis æternæ
collectus: & usui accommodatus

Druzbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066332

Exerc. 4. Jesus Passus, Aquæ Medicæ, in ablutionem & sanitatem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45396

Portio mea, Voluntas tua, & portio tua Voluntas mea:
portio mea Sanguis tuus, portio tua sanguis meus:
portio mea Dignitas tua: portio tua dignitas mea:
portio mea Substantia tua: portio tua substantia mea,
in eternum.

EXERCITIUM IV.

JESUS Passus, Aqua Medica, in ablutionem, & sanitatem.

1. Statue tibi ob oculos JESUM Passum.

2. Inspice illum diligenter in hoc ejus admirabiliter miserabili statu esse velut Balneas, & Medicas aquas: in ablutionem & sanationem omnium morbidorum.

3. Considera hoc balneum: tibi quoque, unà cum Mundo universo, præparatum & instructum: te ad illud invitari. Invitant voces illæ; Omnes

venientes venite ad Aquas. Et, erit fons patens domui

Israel ad ablutionem peccatoris & menstruata. Et, venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, &

ego reficiam vos cibo meo, potu meo, mendicatione meâ. Et adhuc: Effundam super vos aquam

mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis Spiritum novum, & vivetis.

4. In hoc balneo te demerge: atque in his thermalibus fontibus; sudore, sanguine, lachrymis, laboribus, tormentis, opprobriis, contemptibus, ægestate, morte, meritis, & gratis JESU Christi abundantibus: ac propter te manantibus.

5. Lavare in his aquis tanquam immundus: calefas tanquam tepidus: conforteris tanquam

debilis:

V. P. Druzb. Op. V. P debilis:

Handwritten notes on the right edge of the page, including the name 'Druzb.' and other illegible characters.

debilis: dutescas tanquam egenus: saneris tanquam morbidus: sanctificeris tanquam profanus: nobilitatis tanquam vilis: excoquaris tanquam foribus immixtus: pretium & pondus acquiras, tanquam pretii & valoris nullius: coram omnium, imprimis coram divinis oculis.

6. Habet quidem Ecclesia Christi multiplex balneum: in quo filiorum ejus Corda & Animæ abluantur, sanentur, sublimentur. 1. Est enim Balneum Pœnitentiæ tam Virtutis, quàm Sacramenti: quod planè huic ablutioni sanationique Animarum contritarum corde, institutum est. 2. Est etiam Balneum Charitatis in Deum atque proximum, quâ dimittimus, ut etiam dimittatur nobis. 3. Est quoque balneum communicationis dolorum atque passionum Christi, propter Christum. 4. Est enim Balneum Justitiæ, tribulationis, & castigationis divinæ Paternæ, quo Virgâ filiorum corripimur, erudimur, emundamur. 5. Est insuper Balneum Gratix & misericordie divinæ, pro quo ille supplicabat, qui dicebat Deo; *amplius lavame ab iniquitate mea. Et lavabis me, & super nivem dealabor. Et Misere mei Deus secundum magnam Misericordiam tuam.* 6. Est quoque Balneum Misericordiæ & Eleemosynæ: quæ sicut aqua ignem, ita extinguit peccatum: unde Dominus ait: *Quod superest, date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

Pf. 50.

Luc. II. 41.

7. Ad ista verò omnia balnea, accedit, & accedere debet balneum pretiosissimi Sanguinis Mortis, & meritorum JESU Christi: qui est Agnus Dei, qui peccata mundi tollit, abluat, emundat.

8. Omnia

8. Omnium prædictorum balneorum usum fac tibi familiarem & frequentem: at balnei Sanguinis, Meritorumque JESU Christi, fac usum tibi omnino familiarissimum, ac non tantum quotidianum, verum assiduum, atque adeo continuum, ita ut nulla sit actio, nulla passio, nulla commotio tua interior, exteriorvè, quam non sanguini Christi intingas, meritis ejusdem unias, & appeties: & coram Deo acceptissimam reddas.

9. Quod ipsum factitare proderit, & Christo, ejusque Patri æterno placebit: cum aliorum quoque omnium, quos in Charitate Christi diligis, (debes autem, omnes, & singulos proximos, etiam inimicos, ingratos, inuiles, ignotos,) specialiter tamen speciali ratione in Christo tuorum, personis, actionibus, necessitatibus, &c.

P R A X I S.

JESU in Cruciatibus immerse, & propter me, lacrymis, sanguine, doloribus, sudore, vulneribus, ignominis, morte, meritis, gratiaque redundans. O quam pretiosum lavacrum! ô quam copiosum & plenissimum salutaris medicationis balneum preparasti Animæ meæ! Immergo & abluo me totum in eo, cum omnibus cogitationibus, locutionibus, actionibus, passionibus, occupationibus, negotiis, officiis, necessitatibus, curis, propositis, desideris, intentionibus, difficultatibus, partibus, potentis, substantis meis: presento me, ac reddo, sic universaliter, & totaliter ablutum oculis tuis Divinis. Hoc Balneum tuum, est solatium meum, est precium meum, est salus mea, est pretium meum.

P 2

Hic

Handwritten notes on the right edge of the page, including the words "DRUX", "SICKI", "me", "No. II", "N. V", and "3. 7".

Hic abluo maculas meas, hic calefacio frigus meum, hic conforto infirmitatem meam, hic suppleo omnes defectus, egestatesque meas, neque meas tantum, sed etiam omnium meorum in te: omnium etiam proximorum meorum: quos omnes una mecum in balneis, fontibusque tuis istis aeternaliter immergo, &c.

EXERCITIUM V.

JESUS Passus quantus Inimicorum Amator?

1. **S**Tatue tibi ob oculos Cordis JESUM Patrem.
2. Diligenter intuere statum hunc ejus, quem in Passione & subiit, & sustinuit.
3. Peculiari intuitu dispice Amorem ejus erga inimicos, erga persecutores, erga contemptores, erga ingratos, erga crucifixores. Etenim pro his moritur a quibus moritur: pro his fundit sanguinem, qui ipsum ejus fundunt sanguinem: patitur pro te etiam, qui passionis ejus causam dedisti, & qui eum Crucifixisti, qui ejus Crucifixionem saepius & saepius repetisti: qui sanguinem & mortem ejus repetitò millies contulcasti: ita ut tibi incumbat justissimè affirmare de te, quod Paulus affirmavit de se. (Venit Dominus JESUS peccatores salvare, quorum ego primus sum.) An non potes tu cum Paulo, de hoc infelici primatu contendere?
4. Accede ad hoc amorosum, & erga proprios Crucifixores, hostesque Capitales, eodemque simul inutilissimos, atque vilissimos,